



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus Vigesimus Primus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)

cordiæ invocatio : *In fremitu conculcabis terram,  
& in furore tuo, obstupefacies gentes.* Hebræa! *In  
furore, tritabunt gentes, cuius triturationis esse  
potest Exemplum David 2. Reg. 12. qui circumegit  
super eos (id est Amonitas) ferrea carpenta, divisit  
que cultris, & traduxit eos in typum laterum. Obstu-  
pecent gentes, super tantam Mitissimi Domini  
severitatem, & si saluti suæ consultum volunt, assu-  
mant salutarem, Prophetæ nostri timorem: qui  
de se, versu primo, hujus Cantici, ait: *Domine audivi  
auditionem tuam, & timui & rursus, eundem timo-  
rem prosequens: Audivi, & turbatus est ven-  
ter meus, à voce contremuerunt labia mea.* Hic enim  
timor salutariter admissus, efficiet, ut tandem ho-  
mo ad Deum planè conversus, cum cælum ac terra  
turbabuntur, *ficus enim non florebit;* &c. & putredo  
ingressa in ossibus ab ira Dei non abscondet, dicere  
possit confidenter: *Ego autem gaudebo in Domino,  
& exaltabo in Deo JESU meo, Deus Dominus forti-  
tudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum: Et su-  
per excelsa mea, deducet me viator in psalmis Canentē.**



## MODUS VIGESIMUS PRIMUS.

**D**OGMATICUS sive doctrinalis, quando ex toto  
Evangelio, doctrinæ variæ, quæ eodem inclu-  
debantur, eruuntur, atque explicandæ probandæq;  
assumuntur. Modus hic, est unus ex facilib⁹. Orna-  
tur autem & formā sublimiorē sumit, si doctrinæ, non  
sum-

108 MODUS VIGESIMUS PRIMVS.

simpliciter proferantur, sed per modum Axiomatum, graviumque Sententiarum producantur: E.g. si Dominica 21. à Pentec. Matth. 18. doceres 1. facillime ab hominibus, ingentia apud Deum debita contrahi: cui sermoni præberet occasionem debitum talentorum. 2. Eadem facillime pariter nobis posse exoluī, quod posset deduci, ex facilitate Domini, ad illa verba, *Potentiam habe*, concessa. 3. Ex alieno aere posse nobis succurri, cuius veritatis occasionem daret, ipsa pæna servi, qui si cum conservo indulgenter egisset, eo ipso apud Dominum veniam constantem meruisse, quemadmodum è contra sua in conservum crudelitate, efficit, ut indulgentiā obtentā indignus judicaretur.

PRAXIS.

In Feste Visitationis B. Virginis MARIÆ.

*Exurgens Maria abiit in Montana, Luc. 2.*

**A**cceſſus & propositio. Plenum instructionibus salutaribus Evangelium: vix expedit, aliquius doctrinæ compendio stringere. Igitur in plura salutis monita illud partiamur.

Confirmatio per adductas, quas Orator elegit doctrinas.

Prima Doctrina: ubi Deus ibi nihil arduum, Hæc elicitur ex verbis primis Evangelii. *Exurgens Maria abiit in Montana.* Ardua hæc D. Virginis censenda via, tum quia humana indicia, egressui obsta-

obstare poterant; tum quia fatigationem difficultem ipsum iter ferebat. Ratio est primi, quia ab hominum conservatione, ab infantia amota Virgo, solique DEO & Angelis ejus cognita, sensu & re id sibi indixerat, quod de quadam Abbatissa dictum refert, D. Antoninus. *Virginem, gemmam esse in concha.* Ratio secundi. Quia montana transitu sunt difficultia, in quibus tamen nec quievisse, nec resedisse legitur, sed Exurgens transvisse, scilicet à DEO impulsa, qui, ubi adest nihil arduum est. In hunc sensum, Thomas à Kempis, *suaviter equitat, quem DEI gratia portat.* Et Cant. 2. *Ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens colles.* Considerent id potissimum illi, qui ad vitam piam, aut ad pænitentiam, à DEO vocati, montes ante se fingunt: & insuperabiles, aut hominum respectus, aut viæ spiritualis progressus, judicant, O si DEO sis, ad meliorem frugem sincerè converterentur! quam facile experientur, quod ubi DEUS, ibi nihil arduum? quam confidenter cum D. Hieronymo in Epist. ad Heliad. inclamarent. *Quid agis frater in seculo, qui major es mundo? quamdiu te, tectorum umbra premit: quamdiu fumosarum urbium, carcer includit. Crede mihi, nescio quid lucis aspicio. Licer sarcina corporis abjecta, ad purum aetheris evolare fulgerem.*

Secunda Doctrina, ubi Deus, ibi salus, ex illis verbis. *Et salutavit Elsabeith,* Semel tantum legitur Deipara virgo, salutem dixisse: nec ante, quam utero gestaret Deum. Ubi Deus, ibi salus. Idem discimus ab Angelo Gabriele, qui ex cælesti in-

## 110 MODUS VIGESIMUS PRIMVS.

instructione, non aliter dixit D. Virginis *Ave quām*  
*cum diceret, Dominus tecum. O quot Christiani,*  
*salutem aliunde quām à Deo expectant?* Ideoque  
*merentur, ut in illis quoque sententia Eliæ Lib. 4.*  
*Reg. cap. 1. robur obtineat. Nunquid non est Deus*  
*in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum*  
*Accaron. Quamobrem hac dicit Dominus, dele-*  
*ctulo, super quem ascendisti, non descendes, sed mori-*  
*morieris. Quot iterum? qui cum salutes sibi propi-*  
*nant, salutem perdunt. Recte Soholovius noster in*  
*Quæstore. Rarus apud nos quondam usus vini fuit,*  
*idque statim temporibus, & apud paucos, magnofructu-*  
*& emolumento vitæ longæ & sanæ mentis: nunc vul-*  
*garissimus, qui ad caulas usq[ue] at stabula pervenit. Ita,*  
*erectum est magnificum temulentæ trophæum, ex-*  
*haustæ opes. Pariter dixeris. Exhausta salus. Nam*  
*ut Athen. Lib. 2. Epichar: dicit, frequentissimè,*  
*ex sacrificio epulum, ex epulo potatio, ex potatione co-*  
*mus, ex como ludus, ex ludo iudicium, ex iudicio con-*  
*demnatio. Tertia Doctrina. Ubi Deus ibi Jubila-*  
*tio. Ex verbis Elisabethæ, D. Virginis, & Exulta-*  
*tione infantis in utero. Et, quæ hæc felicissima so-*  
*lennitas: CHRISTUS intonat, Mater virgo occi-*  
*nit, Elizabeth benedicit, Joannes in utero salit, &*  
*de utero exilire conatur! O felices, qui hoc gaudio*  
*de DEO replentur! O Miseros, qui aliunde sola-*  
*tia sua, quām à Deo quærunt, cum verum gaudium*  
*ibi solu[m] inveniatur, ubi Deus adeat, de quo D. Au-*  
*gust. Confess. Cap. 40. Est enim gaudium, quod non*  
*datur impiis, sed eis quite colunt, quorum gaudium, tu*  
*ipse (Deus es) Et ipse est Beata vita, gaudere ad te de-*  
*re, propter te, ipsa est, & non altera. Et iterum. Et ali-*  
*quando*

quando intromittis in me affectum , multum inusitatum, introrsus ad nescio quam dulcedinem : quasi perficiatur in me, nescio quid erit, scio quod vita ista non erit. Tarantula, species aranei est, teste Alex. ab Alex. quem si quis deglutiatur, gestit, salitque, tam diu, ut inter saltus, vitam s̄epe expiret. Talia sunt profecto gaudia hominum s̄eculariū, quod inter ea, vitā & salutem perdant. Ubi Deus ibi Jubilatio ad vitam est, quia & Joannes vitam per uteri materni pulsum querit, & Deus ipse est, in quo vivimus, movemur & sumus. Quarta Doctrina. Ubi Deus, ibi Deificatio, ex verbis D. Matris Magnificat anima mea Dominum, de quibus D. Bernardinus Senen. Tom. 3. Serm. 6. Beatissima Mater Dei, plena Spiritu Sancto, & tota in Deum transformata, jubilando dixit decem jubilationes. Unde & idem Canticum, Psalterium decachordum appellat, ad quod David respexit, cum diceret: In Psalterio decachordo psallam tibi. At nota illa verba. In Deum transformata. Nota, & Cantici significationem, ac verbum Magnificat, significans actum laudis præsentem, & continuum. Hinc disce Magnificare Deum, ut Deo dignus sis, & quodammodo Deifieris. Proverbium Polonorum est. Non corrigito Magnificat, significans, laudes per illud Deo perfectissimas, perfectissime impendi. Unde etiam, omni jure, meritus Horatii laude, Casimirus Sarbievius, in preceptis Lyricis, probat, eundē hymnū omnibus numeris Poeticis esse absolutū. Mutare mihi liceat proverbiū, aut imitando illud, dicere. Ne corrūpas Magnificat. Est qui occinat, magnificavit, non magnificat: corrumpit. Est qui occinat, Magnificabit,

Itidem

112 MODVS VIGESIMVS SECVN.

Itidem corrumpit. Magnificat, occinitur, ubi Deus  
& DEIficatio intercedit : & quidem Magnificat  
anima, non lingua, non labium. In spiritu enim  
& veritate adoratur Dominus, cui perpetua ac in-  
desinens laus debetur in saecula,



MODUS VIGESIMUS  
SECUNDUS.

PRæfixa themati propositione, totum aut ferè  
totum Evangelium ad illam propositionem  
revocatur, quæ & si secundum se videatur singula-  
ris: totius tamen Evangelii doctrinas comprehen-  
dat E. G.

Dominica 5. à Pentecost. Matth. 5. dicturus su-  
pra illa verba. *Nisi abundaverit justitia vestra, plus*  
*quam scribarum, aut Pharisaorum &c.* posset pro-  
ponere, inquisiturum se; quænam sit hæc abundan-  
tia, à nobis per Christum requisita, & responderet  
ex Evangelio 1. *Esse illam, quæ non ad sola facta,*  
*sed & ad cognitionum custodiam, se extendit.* Nam  
sicut Dominus, *dictum est antiquis non occides &c.* Ego  
autem dico vobis *quia omnis qui irascitur fratri suo,*  
*reus erit iudicio 2.* *Esse illam, quæ se extendat, ad*  
*Custodiam verborum.* *Qui dixerit fratri suo,*  
*Raca &c. 3.* *Esse illam, quæ se extendit ad ope-*  
*ra liberalia, per quæ læsi lædentes prævenimus, quia*  
*dicitur: Si frater habet aliquid aduersum te, relin-*  
*que*